

- 1378 præsidio tenebant, subita suorum clade consternati, & ipsi deditioem fecerunt. Præda militem sociosque navales ditavit. Triremis una Venetias ad eam victoriam nunciantem missa est. Pisanus, aucta classe, quæ jam quinque & viginti triremium numerum explebat, quia rumor erat Ligusticas triremes in Dalmatiam adventare, quæ ad id domo missæ dicebantur, ut Jaderensi portu infesso, non finum modo, sed suburbana quoque littora Venetis ex proximo infesta redderent, quam longissime domo posset venienti hosti se objicere statuit. Circa Tarentum Venetus Ligurem adeptus est: nam quum Neapolim fere progressus esset, cognovit hostium classem nuper alto mari Calabriam versus abiisse. Remensis igitur littoribus, eo quo diximus loco hostium classis reperta est: quam ut ad pugnam compelleret, ad exitum sinus ad Lacinium promontorium confedit. Contra Lacinium est Salentinum. Hæc duo promontoria contra se intuentia, finum admittunt magna ex parte importuosum: in eo Tarentum urbs sita est. Dixi, ad Lacinium potius quam alibi Venetum confedissee, quia quum Ligur Tarentino portu esset, quem ad pugnam Venetus non elicere solum, sed cogere etiam vehementer cupiebat, maluit ea parte Victor sedere, qua occupata, retro abeundi iis qui in intimo sinu erant, præriperetur facultas. Tarento tandem digressus hostis, confestim ubi ex adverso Venetum in se moventem vidit, in altum declinato cursu, sese proripuit. Instat fugienti Venetus, quasi protinus affecuturus: quum nova ab eo arte est elusus. Assimulat hostis pugnam, tanquam in fuga omnino parum spei esset: continuoque in Venetum conversus, velut acie dimicaturus, omnia quæ ad pugnam parari solent, in navibus assimilari jubet. Quod Victor conspicatus, & ipse cursum sistit, edicitque, ut remiges sociique navales simul corpora curarent, simul, captis armis, sese ad pugnam expeditent. Ligur ubi Venetos instructos vidit, turmas armorum pondere gravatas, bellicis instrumentis triremes omnes impeditas, suis ad fugam dat signum. Vidisses tum utramque classem dispari motu agi: illam quia expeditissimos remiges

*Ligur in  
Tarentino  
sinu pugnam  
detrectat.*